

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS TERM, WEEK 2

### 1. Translate:

*Seneca advocates depth, not breadth.*

ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio bonam spem de te concipio: non discurre nec locorum mutationibus inquietaris. aegri animi ista iactatio est: primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari. illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. nusquam est qui ubique est. vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias; idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. non prodest cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil aequae sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta temptantur; non convalescit planta quae saepe transfertur; nihil tam utile est ut in transitu prosit. dstringit librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas.

**(Seneca)**

## 2. Prepare:

*Ovid chastises a eunuch for guarding his (?) ward too closely.*

ei mihi, quod dominam nec vir nec femina servas  
mutua nec Veneris gaudia nosse potes!  
qui primus pueris genitalia membra recidit,  
vulnera quae fecit, debuit ipse pati.  
mollis in obsequium facilisque rogantibus esses, 5  
si tuus in quavis praetepuisset amor.  
non tu natus equo, non fortibus utilis armis;  
bellica non dextrae convenit hasta tuae.  
ista mares tractent; tu spes depone viriles.  
sunt tibi cum domina signa ferenda tua. 10  
hanc inple meritis, huius tibi gratia prosit;  
si careas illa, quis tuus usus erit?  
est etiam facies, sunt apti lusibus anni;  
indigna est pigro forma perire situ.  
fallere te potuit, quamvis habere molestus; 15  
non caret effectu, quod voluere duo.  
aptius ut fuerit precibus temptasse, rogamus,  
dum bene ponendi munera tempus habes.

(Ovid)